

mis ex testimonio Pauli, qui Gal. IV, allata in medium historia duarum uxorum, et duorum filiorum Abrahami (Gen. XII, XVI), subdit: « *quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta* » quibus declaratis concludit v. 31: « *Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit* ». Tres istae species mystici sensus, una cum sensu literali duobus hisce versiculis memorialibus comprehendi solent:

*Litera gesta docet, quid credas Allegoria,  
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.*

Nonnulli etiam antiqui theologi singulis hisce sensibus assignabant unum ex quatuor Doctoribus maximis Ecclesiae Latinae, qui in unius vel alterius expositione imprimis excellere videbatur; atque ita sensui literali dabant Hieronymum, allegorico Augustinum, morali seu tropologico Gregorium M. et anagogico Ambrosium; nec difficile esset idem animadvertere de Doctoribus Ecclesiae Graecae. Notari etiam potest tres species sensus mystici pulchre respondere tribus virtutibus theologalibus, ita ut Fidei respondeat allegoria, Spei anagogia, et Charitati tropologia, ut ex rei natura patet. Omnes autem hi sensus possunt in uno eodemque loco Scripturae inveniri, cuius rei exemplum afferri solet Ierusalem, vel loca ubi Ierusalem laudes celebrantur ex. gr. Psalm. 47, et Ps. 86; quae quidem in sensu literali et historico de urbe principe Iudaeorum intelligenda sunt, in sensu allegorico de Christi Ecclesia, aut etiam de B. Maria Virgine, in sensu anagogico de patria coelesti, in sensu morali de anima fidelis in genere et de mystica eius unione cum Deo.

Alia divisio sensus mystici apud recentiores passim recepta est pariter in tres species, quas vocant sensum mysticum *historicum*, seu commemorativum, *moralem*, et *propheticum*. Historicus est qui rem gestam in memoriam revocat, ut erat agnus Paschalis, eiusque ritus institutus ad commemorandam liberationem primogenitorum Iudaeorum in Aegypto commorantium ab universalis terrae

*tissimo* pro omni sensu qui ex rebus in s. Scriptura relatis quomodoenimque erui potest etiam praeter mentem auctoris, seu per meram accommodationem, quo sensu vocari solet interpretatio *allegorice* methodus illa Scripturas exponendi, cui Origenes eiusque asseclae potissimum indulgebant.

(Ex. XII, 14); moralis qui virtutis documentum insinuat ut ex. gr. circumcisionis ritus resecationem vitiorum significabat (Lev. XXVI, 44, Deut. X, 16, XXX, 6); propheticus vero qui rem futuram adumbrat, quem quidem subdividunt in *simpliciter propheticum*, qui rem intra tempus eiusdem veteris Testamenti futuram portendebat, ut fuerunt mysticae illae actiones quorundam prophetarum quibus illi saepe tristitia vel laeta populo praedicebant, ut ex. gr. occurrit Is. XX, 1-4, Oseeae I, 2-9, Ier. XXVII. 1-3, Ezech. IV. 1-17 etc. et *strictè propheticum* vel proprie *typicum*, qui ad Christum et Ecclesiam refertur, ut ex. gr. memoratus ritus Agni Paschalis quatenus typus erat sacrificii Christi (Io. XIX, 36).

Et haec quidem de sensus cum literalis tum mystici notione et divisionibus. Nunc de utroque seorsim tractandum est, et variae de iis quaestiones proponendae; quibus in fine addemus nonnulla de sensu quem vocant *accommodatum*, vel *accommodatitium*, qui licet proprie sensus Scripturae non sit, verbis tamen eius affingi solet, et est magni usus praesertim in theologia ascetica, et pastoralis.

## CAPUT II.

### DE LITERALI SACRARUM SCRIPTURARUM SENSU

Circa sensum literalem Scripturarum duae generales quaestiones fieri solent: 1° an existat et admittendus sit in omnibus et singulis locis; 2° utrum in uno eodemque loco aliquando multiplex sit.

Quaestioni 1<sup>ae</sup> affirmative prorsus respondendum est. Hinc esto

### THESIS I

*Sensus literalis sive proprius, sive improprius in omnibus et singulis sacrae Scripturae locis admittendus est.*

Haec quaestio videri posset superflua cum Scripturae verba sicut omnis sanae mentis hominum sermo, sensum aliquem necessario praesferre debeant. Verum ex idearum confusione, et ex male intellectis quibusdam veterum Doctorum sententiis originem habuit haec controversia quae hic breviter solvenda est.

I. Rationes dubitandi.

1. Veteres quidam Ecclesiastici scriptores negarunt in quibusdam Scripturae locis sensum literalem. Ita Origenes Lib. IV de Principiis §. 16-19 postquam dixisset in libris utriusque Testamenti quasdam historias contineri *minime veras*, et quaedam praecepta *absurda et impossibilia*, quae idcirco in sensu tantum spirituali accipienda sunt, ita generatim concludit §. 20: « Sic itaque de universa Scriptura statuimus: sensum ubique haberi spiritualem (πνευματικόν) non autem ubique corporeum (σωματικόν): nam saepe quod corporeum est impossibile invenitur ». Item in Homil. 2 in Genesim §. 6: « Non semper, inquit, in Scripturis divinis *historialis consequentia* stare potest, sed nonnumquam deficit, ut, verbi gratia, cum dicitur: Spinae nascentur in manu cbriosi ». Huic sententiae subscribit Nicolaus Lyranus qui in Prolegom. III ad Postillas scribit: *Alicubi vero non habet (Scriptura) sensum literalem proprie loquendo.*

2. Accedunt rationes quaedam internae. Dicunt enim imprimis sensum literalem in quibusdam locis absurdum, ineptum, aut obscuro fore, ac proinde non potuisse a Spiritu Sancto intendi, ut est ex. gr. illud quod legitur Osee 1, 2: « Dixit Dominus ad Osee: Vade sume tibi uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationum », quod a morum honestate abhorret, aut illud Ezech. IV, V, ubi Propheta iubetur certo dierum numero dormire super latus sinistrum, deinceps vero super dexterum, tum novam quandam panis speciem comedere stercore inquinati, et alia similia. Idem nonnulli existimarunt de tota narratione tentationis Hevae per serpentem, quae Gen. III legitur.

Addunt quaedam loca V. T. de Christo explicari ab Hagiographis N. T. ac proinde de Christo omnino intelligenda esse, quae tamen si *literaliter* accipiantur nullatenus ad Christum pertinent. Ergo non possunt *literaliter* accipi. Exemplum ponunt ex 2 Reg. VII, 14: « *Ego ero ei in Patrem et ipse erit mihi in Filium* » quae verba in contextu considerata Salomonem respiciunt, et tamen Paulus (Hebr. I.) docet de Christo esse dicta: item afferunt verba Osee XI, 1: « *Ex Aegypto vocavi filium meum* » quae manifeste de populo Hebraeorum ex Aegyptiaca servitute liberato intelligenda sunt secundum literalem sensum, sed ab Evangelista Mat-

thaeo (II, 13) de Christo ex Aegypto revertente scripta esse dicuntur.

II. Verum haec non obstant quominus sensum literalem in omnibus et singulis Scripturae locis existere citra omnem dubitationem credamus. Et re sane vera: recolamus notiones sensus literalis et mystici, quas superius cum S. Thoma exposuimus, ut scilicet literalis dicatur sensus, qui per verba sive proprie sive metaphorice accepta exprimitur, mysticus vero qui per ipsas res verbis expressas designatur. Quibus praesuppositis, ita argumentum institui potest. Testimonia Sacrae Scripturae aut non habent mysticam aliquam sensum, aut habent. Si non habent, evidens profecto est ea sensum literalem habere: cum enim haec loca sensu mystico careant, si neque literalem haberent, essent prorsus sensu vacua, cum praeter duos illos sensus nullus alius aut sit aut fingi possit. Quid autem absurdius dici potest quam Spiritum Sanctum et Scriptores ab eo inspiratos verba sine sensu, aut sine mente sonos protulisse. Tota igitur quaestio ad ea tantum loca pertinet quae sensum mysticum habent. Cum enim haec sensum illum spiritalem et sublimiorem contineant dubitari quodammodo posset num etiam literalem sensum ab auctore intentum necessario habere debeant, an vero hoc uti superfluum vel absurdo aliquando destituta sint. Verum ex ipsa sensus mystici notione dubitatio haec facile solvitur. Cum enim sensus mysticus sit ille, quo res significatae per voces iterum res alias significant, manifestum est sensum mysticum, ut observat Angelicus Doctor, super literalem fundari et eum supponere. Si vero res illa vel factum per voces expressum non esset reale, sed in imaginatione tantum in signum vel figuram alterius rei assumptum, iam non esset amplius quaestio de sensu mystico, sed de sensu literali metaphorico, seu figurato: atque ita neque tunc careret locus ille sensu literali.

Hoc ipsum docent et inculcant Sancti Ecclesiae Patres: ex quibus Hieronymus Comm. in Cap. XII Is. scribit: « Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiae: quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis versantur errore; » et Augustinus in Sermone de Tent. Abrahae: « Admonemus, inquit, quantum possumus et peaecepimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae mandantis quae gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic

gestum quomodo lectum: ne, *subtracto fundamento* rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare ». Quibus concinit Gregorius M. lib. II in Evang. Hom. 40 scribens: « In verbis sacri eloquii, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiae, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur ». Demum S. Thomas communem Scholarum doctrinam de Scripturae sensibus exponens in P. I q. 1 Art. 10 post declaratas notiones sensus literalis et spiritualis seu mystici, concludit: « Propter quod sensus spiritualis super literalem fundatur, et eum supponit ». Concludimus igitur sensum literalem omnibus et singulis Scripturae locis subesse.

III. Rationes dubitandi superius adductae facile solvuntur. 1. Ad auctoritatem Origenis, et quorundam eius sectatorum possemus imprimis respondere eam non esse in re nostra attendendam. Et sane Origenes ab aliis gravissimis Doctoribus de hoc adamussim vitio, idest de neglecto seu excluso sensu literali, reprehensus est. Ita ex. gr. S. Eustathius Antiochenus in libro de Engastrimytho, seu de facto narrato 1 Reg. XXVIII de muliere Pythonissa a Saule consulta, quod Origenes historice non accipiebat, ita acriter Origenem insectatur: « Porro in suis de Iob, qui multa passus est, homiliis, non admiratur (Origenes) tollerantiam, non commendat virtutem, non probat fidem, non fortitudinis animi exempla describit, non tyrones milites magnitudine animi, vigoreque prudentiae ad virtutem hortatur, non armat certatores, ut fortiter pro pietate pugnent. Sed haec omnia praetergressus, sublimi dicendi modo filiarum nominibus exponendis aniliter multa consumpsit. Verum quae de Dei nomine, et Cassiae, sive Cornucopiae nugatus est, hic commemorare difficile est: multiplices namque scateant futilitate. » Item Theophilus, in Epistola paschali I ita in Origenem invehitur: « Quae illum ratio, quis disputationis ordo perduxit, ut allegoriae umbris et cassis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem? » Cui consentit Epiphanius Origenem carpens quod: « historiae veritatem allegorico depravans mendacio infinita verba multiplicat. » Similia habent Basilium, Hieronymum, alique. Quare merito possemus cum his gravissimis Doctoribus Origenis auctoritatem missam facere. Verum si res accuratius expendatur appare-

bit Origenem eiusque sectatores thesi nostrae proprie non contradicere.

Hoc autem ut recte intelligatur duae quaestiones distinguendae sunt. 1 An Origenes in aliquo loco S. Scripturae negaverit existere quemcumque sensum literalem. 2 An in quibusdam locis negaverit sensum literalem *proprium* ut ei substitueret *translatum*, quae tamen loca in proprio verborum sensu explicari debuissent. Iamvero ad primam quaestionem quod attinet (de qua nunc tantum loquimur), dicimus Origenem nunquam negasse in aliquo loco Scripturae omnem prorsus literalem sensum, quamvis id verbis negare videatur. Tota autem ratio aequivocationis est in varia acceptione nominis illius *sensus corporeus, sensus literalis*. Nos enim his vocibus designamus omnem sensum qui per verba exprimitur sive *proprie*, sive *metaphorice* accepta, contra vero Origenes cum nonnullis aliis ex veteribus eo nomine designant solum sensum, qui ex verbis *proprie* acceptis exurgit, translatum autem seu metaphoricum verborum sensum, quem nos dicimus speciem sensus literalis, illi inter species sensus spiritualis enumerant. Hoc autem modo verissime dicunt in pluribus Scripturae locis sensum corporeum vel literalem, upote absurdum vel vanum, admitti non posse, quia verissimum est multa legi in Scripturis, quae iuxta propriam verborum significationem absurda essent, et ideo sunt metaphorice intelligenda, ut cum dicitur Deus habere oculos, aures, manus, vel cum Christus dicitur Leo, Agnus, Vitis, Ostium aut alia huiusmodi. Hanc fuisse Origenis mentem probant, praeter alia, ipsa eius verba in Lib. IV De Princ. unde obiectio deprompta erat: ibi enim n. 8. incipiens tradere regulas interpretationis S. Scripturae scribit: « Duri enim corde et idiotae, qui de circumsione sunt, prophetiarum quae de Christo loquuntur dictionem sequi se existimantes in Salvatore Nostrum non crediderunt, cum enim sensibiliter non cernerent, ipsum praedicasse captivis redemptionem, neque aedificasse, quam vere credunt, civitatem Dei, neque exterminasse currus Ephraim, et equum de Ierusalem, neque butyrum et mel comedisse. . . . rati insuper esse prophetatum fore ut lupus animal quadrupes cum agno pasceretur, pardus cum haedo stabularetur. . . . nihil horum in eius, quem Christum credimus, adventu sensibiliter cernentes factum, Domi-

num Nostrum Iesum nedum susceperint, eum tamquam sese contra Ius Christum faceret crucifixerunt . . . . Iis autem omnibus (concludit n. 9) nulla falsarum opinionum, nulla impietatis et stolidorum de Deo sermonum causa esse alia videtur, quam Scriptura non secundum *spiritualem sensum* intellecta, sed secundum *literalem accepta*. In quo testimonio evidens est nomen *literals sensus* stare pro sensu *literali proprio*, quem ab illis vaticiniis Origenes merito excludit, sensum vero *spiritualem* significare sensum *literalem* metaphorice, quem ibi agnoscendum esse merito docet. Eodem igitur modo Origenes intelligendus est cum in n. 20 eiusdem libri ait: *corporeum sensum non ubique inveniri* in SS. Scripturis, aut cum in homilia 2. in Genesim affirmat: *historialem consequentiam non semper stare posse*; quod etiam patet ex exemplo, quod in hoc altero loco adducit, ut vidimus, ex Prov. XXVI, 9, ubi metaphoricum literalem sensum contineri (iuxta graecam versionem) manifestum est. Eadem valet responsio pro Nicolao Lyrano: eum scilicet nomine sensus *literals* solum sensum proprium verborum intellexisse, ut apparet ex lectione integri loci obiecti, ubi inter alia addacit Apologum loathamii (Iud. IX, 8-13) tamquam exemplum sensus *spiritualis* seu *mystici*, cum tamen non sit iuxta nostram loquendi rationem nisi *literals sensus* improprius seu translatus. Quamquam Lyranus in eodem loco fateatur parabolae, adeoque omnem sensum translatum posse adnumerari speciebus sensus *literals*, atque ita a se factum interdum dicat. Et haec quidem de prima quaestione, quae ad rem nostram proprie pertinet.

Si vero fiat altera quaestio, an Origenes aliquando nimis facile negaverit sensum proprium verborum S. Scripturae, ut metaphoricum et allegoricum induceret, respondemus Origenem revera a pluribus huius vitii insimulatum fuisse; huc enim pertinent testimonia superius citata Eustathii, Epiphani aliorumque antiquorum, quibus passim subscribunt recentiores cum de Origenis commentariis eiusque methodo interpretandi loquuntur. Non defuerunt tamen qui Origenem ab huiusmodi etiam accusatione defenderent, inter quos olim Illūsus Huetius, nuper vero cl. Prof. Vincenzi in sua Origenis apologia (1), ubi copiosissima et eruditissima disputatione

(1) Vide Aloysii Vincenzi: *In S. Gregorii Nysseni et Origenis*

demonstrare contendit, Origenem sensum *literalem proprium* seu *historicum* ubique in Scriptura admisisse tamquam eius *corpus*, a quo distinguebat sensum *moralem* et *mysticum* tamquam *Scripturae animam*, et *spiritum* (1): eundemque sensum *historicum* non penitus neglexisse etiam in iis libris, qui maxime a laudatis Doctoribus reprehenduntur, quales sunt eius commentarii in libros Moysi, et in librum Iob. Ita in hom. 2 in Genesim de Arca Noe eiusque historia et adiunctis secundam *literam* fusa deserit, et narrationis veritatem adversus Apellem Marcionitam defendit: et in homil. 10 in Leviticum n. 4 in genere affirmat tenendam esse *literam* in libris Moysi, licet in iis ritibus, legibus etc. agnoscendam esse doceat figuram Christi eiusque Ecclesiae. In Tractatu in Iob autem, quantum ex eius fragmentis quae supersunt iudicari potest, non omisit historiam exponere, et exempla fortitudinis, patientiae, pietatis in sua luce collocare, imo haec vehementer inculcat, ita ut immerito de hac omissione reprehendatur ab Eustathio in loco citato. Fatetur tamen laudatus auctor Origenem in homiliis ad populum, praetermisso saepe (non reiecto) sensu *literali historico*, libentius sequentum fuisse figuratum, allegoricum, et accommodatum sensum, eo quod Christianae plebis aedificationi eum utiliorem putaret (2): in operibus vero dogmaticis et polemicis pressius inhaesisse sensui *historico* et *grammatico*. Si vero aliquando veras historias V. T. fabulas (*μυθους*) appellat, nomen hoc non pro ficta narratione, ut faciunt recentiores Rationalistae, sed pro nota et vulgata historia accipit, ut pluribus adductis testimoniis ostendit laudatus Vincenzi loco citato cap. XXVI. Utrum haec ad Origenis defensionem sufficiant iudicet lector. Et haec satis de obiectionibus externis.

2. Internae vero obiectiones seu rationes dubitandi facilius *scripta et doctrinam nova recensio*. Vol. II. Capp. XXV-XXIX Romae 1864.

(1) Ita ex. gr. Hom. VIII in Lev. n. 5: « Triplicem namque, ait, in Scripturis divinis inveniri saepe diximus *molam, historicum, moralem et mysticum*: unde et *corpus* inesse ei, et *animam*, et *spiritum* intelleximus ».

(2) « Noa enim (inquit in homil. 7 in Levit. n. 1) nunc exponendi Scripturas, sed *adificandi Ecclesias* ministerium gerimus: quamvis adiungit et ex his, quae a nobis antea tractata sunt prudens quisque auditor evidentes ad intelligendum possit semitas invenire ».

solvi possunt. Dicebant enim primo quasdam historias, et quaedam praecepta absurda aut inhonesta fore si literaliter acciperentur. Verum distinguamus ea quae revera huiusmodi sunt si accipiantur iuxta obvium verborum sensum, quaeque, ut superius diximus, intelligenda erunt metaphorico sensu, qui etiam literalis est; haec, inquam, distinguamus ab iis narrationibus, vel praeceptis, quae apparenter tantum absurditatem praeseferunt, intuius tamen inspecta nihil huiusmodi continent: quae proinde in sensu literalis etiam proprio, seu vere historico et possunt et debent intelligi. Porro ad hanc alteram classem referenda sunt exempla ab adversariis allata. Duo enim priora exempla singulares illas prophetarum actiones referunt quas saepe a Domino praeceptas in Scripturis legimus ad aliquid aliud mystice praenunciandum; haec autem mystica significato rationem sufficientem earum constituit, quae secluso hoc fine ineptae aut irrationales merito dicerentur. In his igitur et similibus locis et ipsae prophetarum actiones ut historice verae accipiendae sunt, in quo est sensus literalis, et insuper mystica earum significatio est agnoscenda, quae plerumque ab ipso propheta postea reseratur, ut in duobus citatis locis factum est. Quod autem dicebant adversarii actiones illas Osee et Ezechielis ita absurdas aut inhonestas esse ut nullatenus possint historice intelligi falsum est (1). Siquidem ad Oseam quod pertinet, aliud est peccare cum muliere, aliud vero mulierem peccatricem in legitimum matrimonium sibi coniungere, in quo nihil inhonestum reperitur: porro non primum sed alterum facere Oseas iubetur. Ezechielis vero actus a Deo praecepti, quamvis difficiles et ad prophetam obedientiam probandam aptissimi non tamen aut inepti aut absurdi dici possunt, supposita semper mystica eorum et prophetica significatione. Accedit duos illos difficiliore actus benigniorem explicationem admittere et ab ipso Deo commutatos fuisse: non enim existimandum est prophetam iussum esse super latus sive sinistrum sive dexterum tam diuturno tempore iacere sine interruptione, sed noctu tantum cum cubitum recederet; neque

(1) Hieronymus quidem factum Osee non historice, sed allegorice, seu in sensu improprio accepit in Comm. in Os. I. Verum totus contextus ita certum praesert historiam characterem ut haec interpretatio probabilis non videatur, quemadmodum reliqui Patres et interpretes iudicarunt.

desunt qui cum Hieronymo existimant haec non revera sed per somnium et in visione contigisse. Stercus autem humanum, rogante propheta, cum fimo boam a Deo commutatum est, et insuper non hic comedendus praecipitur cum pane, sed dumtaxat panis in eo coquendus, quod nihil absurdi continet, imo et usu receptum est apud quasdam gentes quae lignorum aliorumque combustibilium inopia laborant, ut ex. gr. in Arabia Petraea et in quibusdam locis Mesopotamiae adhuc fieri notum est.

Demum narratio tentationis Hevae Gen. III relata, quae a Caetano allegorice exponitur, ab omnibus tamen quum Patribus, tum interpretibus biblicis in sensu vere historico intelligitur, quemadmodum et contextus, et loquendi modus, et alia Scripturae loca evidenter ostendunt; nulla autem absurditas in eadem historia reperietur si tantum recte intelligatur, ita nempe ut diabolus quidem principalis agens fuerit, serpens vero eius instrumentum.

Ad illud quod postremo addebant de locis V. T. quae ad Christum referuntur ab Hagiographis N. T. quum tamen literaliter nullatenus de Christo loquantur, responsio in promptu est: haec scilicet loca duplicem habere sensum, alterum literalem de re illa vel persona quae in contextu exprimitur, alterum mysticum de Christo, qui licet ex verbis non appareat aliunde tamen innotescit, et praecipue ex testimonio hagiographorum N. T. ac propterea loca ista sensu literalis non carent. Ita verba 2 Reg. VII. 14 revera de Salomone dicta sunt, ut ex contextu evidenter apparet, quoniam vero Salomon Christi figura ac typus erat, eadem verba in sensu alio ac mystico ad Christum dirigebantur, et hoc est quod Paulus respicit Hebr. I, 5. Item verba Osee XI, 4 revera ad populum Hebraeorum ex servitute Aegyptiorum liberatam pertinent iuxta verborum sensum, rursus vero, quoniam Hebraeorum populus Christum praefigurabat, eadem verba in mystico sensu de Christo puero ex Aegypto redeunte mystice intelligenda esse Matthaeus (II, 15) docet.

*Quaestio secunda. De sensu literalis unitate vel multiplicitate.*

Admissa in singulis Scripturae locis existentia alicuius sensus literalis, alterius inquirere solent Theologi utrum aliquando in uno

eodemque loco plures sint literales sensus. Haec quaestio in scholis serio tractari coepit saeculo XVI. Antiquiores Theologiae tractatores et Scripturae interpretes (Saec. XVI-XVIII) plerumque in affirmativam sententiam confesserunt, existimantes scilicet quosdam Scripturae locos multiplicem habere literalem sensum: ita Alphonsus Salmeron, Vasquez, Serarius, Bellarminus aliique non pauci eiusdem aetatis, quibus maiori numero accesserunt auctores saeculi XVII, et XVIII ut Cornelius a Lapide, Franciscus Sylvius, Bonfrerius, Bannesius, Gonetus, Billuartius, Laurentius Veith, H. Goldbagen, Io. Nep. Schaefer aliique plurimi, (1) quamvis nonnulli opinionem istam ut probabilem tantum, non ut certam defendant ut ex. gr. Bellarminus. Verum saeculo nostro praevaluit contraria sententia de unico literali sensu, quam etiam ex antiquioribus defendebant gravissimi theologi Guill. Estius, et Hieronymus Pradus; praecipui recentiores theologi pro hac sententia citari possunt Bern. De Rossi, Henrich, Monsperger, Iahnus, Arigler, Wiest, Glaire, Olivieri, Patrizi, Ranolder aliique, quamvis non desint etiam inter recentiores qui adhuc defendant multipliciter literalem sensum ut ex. gr. Liebermann et, ut videtur, etiam Perrone.

Licet haec quaestio libera sit, operae tamen pretium erit utriusque opinionis fundamenta diligenter expendere, cum unam vel alteram ex iis recipere res magis momenti sit, et praesertim in Scripturae interpretationem plus influat quam prima fronte videatur. Omnibus perpensis, altera sententia praeferenda nobis videtur: quod ut ostendamus ad examen revocabimus rationes, quae adduci solent pro multiplici literali sensu, easque demonstrabimus ita solidas non esse ut rem faciant, quo facto unitas literalis sensus sufficienter probata censenda est: est enim haec quaestio huiusmodi ut ex defectu argumentorum pro contraria sententia veritas alterius inferri possit, cum multipliciter sensuum literalium tam nova et insolita res sit, ut nisi certis rationibus probetur admitti non debeat.

(1) Horum catalogum diligenter pertexuit Illmus Beelen in opere inferius citando, ubi etiam corrigi assertionem quorundam auctorum qui nonnullos Theologos illius aetatis veluti contrarios huic sententiae citare solent, cum tamen illi multipliciter sensuum literalium nusquam impugnaverint, ut ex. gr. Mich. Medina, et Fr. Ribera.

## THESIS II

*Sensum literalem in quibusdam S. Scripturae locis multiplicem esse certo demonstrari nequit.*

Primam exponemus argumenta fautorum multiplicis sensus literalis, deinde vero, praemissis nonnullis ad statum quaestionis accuratius determinandum, rationum illarum valorem expendemus (1).

I Argumenta pro sensu multiplici literali ad haec revocantur.

1. Afferunt rationes quasdam internas et veluti a priori. Aiunt enim imprimis sensum Scripturae literalem a Dei intellectu pendere, qui est principalis Scripturae auctor. Cum autem divinus intellectus omnia simul comprehendat, et omnes possibiles verborum sensus, dicendum videtur hos omnes, vel saltem plures, simul intenderit, seu verbis exprimere voluisse. Addunt scopo sacrae Scripturae id maxime convenire: cum enim Scriptura ad omnium utilitatem exarata fuerit, eumque hominum ingenia, conditiones, dispositiones, necessitates admodum variae sint, maxime convenit ut unusquisque in Scriptura illud inveniat quod sibi utilis ac aptius esse possit.

2. Afferunt plura exempla, seu testimonia Scripturae, in quibus contendunt reipsa constare multos subesse literales sensus: quorum praecipua haec sunt: 1) Verba Gen. I, 1: *In principio creavit Deus caelum et terram*, quae tribus saltem modis explicari possunt, vel scilicet in principio temporis, vel in principio rerum, vel in Verbo Dei seu in Filio, de quo scriptum est Io. I, 2: *omnia per ipsum facta sunt*, et qui de se ipso dicit Io. VIII, 25: *Principium, qui et loquor vobis*: quos

(1) Tota haec quaestio copiosissime pertractata fuit a duobus recentioribus scriptoribus qui ambo pro unitate sensus literalis pugnant; sunt autem F. X. Patritius in op. *De Interpretatione Scripturarum Sacrarum* Lib. I. Cap. III, Quaest. II, et Illmus I. Th. Beelen in egregio opusculo cui titulus: *Dissertio Theologica, qua sententiam vulgo receptam, esse Sacrae Scripturae multiplicem interdum sensum literalem, nullo fundamento satis firmo nisi demonstrare conatur I. T. B. etc.* Lovanii 1845. Hos duces potissimum sequemur in hac nostra disputatione.

omnes sensus Patres et Doctores probant. 2) Verba Gen. XLVII, 31 in Vulgata nostra leguntur ita: *adoravit Israel (Iacob) Deum conversus ad lectuli capit,* in veteri autem versione latina, et in graeca LXX legebantur: *adoravit Israel fastigium virgae,* το ακρον της ραβδου: Hebraicus textus autem utramque versionem patitur, nam postremum vocabulum si cum hodiernis punctis legatur (הַמַּטֵּה) *lectulum* significat, aliis vero punctis, seu *patach* et *tseré*, appositis (הַמַּטֵּה) *est virga.* Ecclesia vero utrumque sensum probavit, et adhuc probat per usum et solemnem confirmationem utriusque Vulgatae. 3) Verba Deut. XXV. 4: *Non alligabis os bovi trituranti,* a Paulo intelliguntur de ministris Evangelii a fidelibus sustentandis 1 Cor. IX: neque hic alter dici potest sensus mysticus eorum verborum; quis enim dixerit boves triturantes fuisse typos vel figuras apostolorum? est ergo duplex in eo loco literalis sensus. 4) Ps. II, 7 verba: *Ego hodie genui te,* tres sensus literales continent, et quidem omnes ab apostolo Paulo disertè explicatos: nam haec verba Hebr. I, 5 explicat de aeterna Christi generatione, et iterum Hebr. V, 5 de aeterno Christi sacerdotio, demum Act. XIII, 32 seqq. de gloriosa Christi resurrectione, quae veluti nova Christi generatio fuit. 5) Isaiae LIII, 4: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit,* in contextu significat Christum Dominum peccata nostra, sive eorum poenas in se suscepturum, atque ita ea verba explicantur etiam a Petro Epist. 1 c. II, v. 24, et a Paulo 1 Cor. XV, 3. Verum Matthaeus cap. VIII, 16 in alio prorsus sensu ea intelligit, nempe de morbis corporalibus a Christo sanatis, ait enim: *Et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit:* 6) ibid. v. 8 quod legitur: *generationem eius quis enarrabit?* intelligendum est eum de aeterna Verbi generatione, tum de temporali ex matre Virgine, utraque enim ineffabilis est: vel etiam de generatione hominum, seu multitudine hominum qui Christi aetate erant victuri, quorum perversitatem, coecitatem, obstinationem merito ineffabilem vocaret Propheta. Omnes hi sensus a clarissimis Doctoribus et interpretibus sententiae illi tribuuntur. 7) Verba Habacuc III. 2 iuxta variam vocum hebraicarum punctationem admodum diverse redduntur: a Hieronymo scilicet ita: *in*

*medio annorum notum facies,* a LXX autem et veteri Vulgata latina reddita sunt: *in medio duorum animalium cognosceris.* Ecclesia vero utramque lectionem probavit, et adhuc recipit, nam prior in Vulgata hodierna extat, altera legitur in officio Divino in festo Circumcisionis Domini, et in Epiphania. 8) denique urgent verba Caiphae Io. XI, 50: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* quae manifestissime duos literales continent sensus alterum a Caipha intellectum ex falsa politica ratione et animi malignitate profectum; alterum propheticum a Spiritu sancto expressum, quem subinde declarat Evangelista v. 51.

3<sup>a</sup>) Innituntur auctoritati veterum Doctorum et Theologorum. 1) Ad Patres quod attinet afferunt imprimis generales quasdam locutiones de mira foecunditate verborum S. Scripturae, quae multipliciter eius sensus literalis indicare videntur. Ita S. Basilius a Salmerone citatus, ubi ait: *Prodeat Basilius, qui in Prooemio operis de Spiritu sancto expendendos esse docet ipsos literarum apices, ipsas literas et syllabas,* nuda voces et orationes. Accedit S. Iohannes Chrysostomus qui in hom. 21 in Genesim, ait Scripturam eo quod dictata sit a Spiritu S. multas sensuum habere divitias ita ut in singulis eius syllabis et literis ingentes thesauri lateant; item S. Hieronymus in ep. ad Paulinum ait: *in singulis verbis multiplices latent intelligentiae;* et in Comm. in Ephes. III, 6: *singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Hisce addunt alios Patres qui disertè affirmare videntur quasdam scripturae sententias plures simul sensus literales continere. Hi sunt S. Leo M., S. Augustinus, S. Gregorius M., S. Bernardus et Patres Concilii Lateranensis IV. S. Leo M. in Serm. IX. de Nativ. Dom. ait: « In Christo Iesu Filio Dei non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: generationem eius quis enarrabit? » S. Augustinus (quo potissimum gloriantur laudati auctores) in lib. XII. Confess. c. 31 loquens de variis modis quibus exponuntur ab interpretibus prima Moysis verba: *In principio creavit Deus coelum et terram,* scribit: « Ita cum alius dixerit: hoc sensit (Moyses) quod ego, et alius: imo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere: cur non *utrumque* potius si *utrumque* verum est? et si quid *tertium*, et si quid *quartum*, et si quid *omnino aliud*

verum quisquam in his verbis videt, cur non *illa omnia vidisse credatur*, per quem unus Deus sacras literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? » Et iterum in Lib. III de Doctr. Christ. cap. 27: « Quid, inquit, in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eodem verba pluribus intelligantur modis? » Et in eodem sensu S. Gregorius M. Lib. I Hom. 10 in Ezech. aiebat: « Plerumque in sacro eloquio aliud aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur. » Et S. Bernardus hom. 31 in Cant. » Unus, inquit, quilibet divinus Sermo non erit abs re, si diversos pariat intellectus. « Quibus accedit gravissima auctoritas Patrum Concilii Lateranensis IV Cap. *Firmiter* De Summa Trinitate, ubi de creatione mundi sermo est, nam, inquit Cornelius a Lapide: « Concilium ex illo Gen. I: In principio creavit Deus caelum et terram, *iuxta duos sensus literales* duas concludit veritates, scilicet quod mundus inceperit, quasi  $\tau\omicron$  in principio significet principium temporis, et quod nihil ante mundum sit productum, quasi  $\tau\omicron$  in principio idem sit quod *ante omnia*. »

2) Patribus addunt Scholasticos Doctores imprimis SS. Bonaventuram et Thomam. Ille enim verba Ps. 2: *Ego hodie genui te* in 1. Sent. dist. 9. Dub. IX explicare videtur duplici sensu diverso; quemadmodum etiam triplici sensu explicat prima Geneseos verba in 2 Sent. Dist. 1, Dub. II. Alter autem variis in locis idem affirmat ita ut eius auctoritate maxime gloriantur huius opinionis defensores. En S. Thomae testimonia ab iis adducta. In Quodlibeto VII quaest. 6 Art. 15 scribit: « Totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur: » ergo plures sunt aliquando sensus literales si verborum significatione sit multiplex. In Comment. in 2 Sent. dist. 12 Art. II. ad 1 inquit: « Auctoritati Scripturae in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen fide, quia maiori veritate eam Spiritus Sanctus foecundavit, quam aliquis homo adinvenire possit: » ergo diversi sensus qui verbis Scripturae affingi possunt sunt intenti a Spiritu Sancto: et clarius quaest. IV de Potentia Art. 1: « Omnis veritas, quae, salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari est eius sensus ». Denique in Summa Theologica Part. I quaest. I Art. 10 c. postquam distinxisset sensum lite-

ralem a spirituali seu mystico, huiusque tres species enumerasset concludit: « Quia vero sensus literalis est quem auctor intendit, auctor autem S. Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus in XII Confess., si etiam secundum literalem sensum in una litera Sacrae Scripturae plures sint sensus. »

Haec sunt quae pro multiplici sensu literali S. Scripturae afferri solent.

II. Antequam praedicta argumenta ad examen revocemus oportet quaedam praemittere de vero quaestionis statu ac sensu: ut enim in huiusmodi quaestionibus fieri solet, multa saepe confusa et commixta in hac re fuerunt, quae omnino separanda sunt, et ad rem non pertinent. Itaque hoc est quod quaeritur: utrum in quibusdam Scripturae locis reperitur *sensus literalis multiplex*. Expendamus singula verba huius formulae. Dicitur imprimis *sensus*. Sensus autem est mens auctoris, seu illud quod auctor in mente habebat et in animo lectorum excitare volebat. Igitur hoc ipso removendae sunt ab hac quaestione omnes illae interpretationes, quae non repraesentant auctoris mentem, sed aliquid aliud ab interprete excogitatum et verbis Scripturae affectum, quantumvis per se verum atque utile sit, seu omnes quos vocant *accommodatos* sensus. Dicitur deinde *literalis*: non igitur hic quaeritur utrum aliquis locus Scripturae plures simul sensus in genere habere possit; hoc enim libenter omnes admittunt, potest enim aliquis locus sensum literalem habere, ac praeterea sensum mysticum, non solum unicum, sed et duplicem et triplicem iuxta varias eius species, quemadmodum alias diximus probabilius affirmari posse de Ps. 84 de laudibus Ierosolymae. Verum in hac quaestione quaeritur utrum plures sint sensus vere literales. Denique dicitur *multiplex*: multiplicitas autem constituitur ex iis, quae vere ab invicem distincta sunt. Ut igitur aliquis locus diceretur habere multiplicem sensum literalem, oporteret unam eandemque sententiam, seu ipsa eademque verba iuxta grammaticam significationem simul, et ex intentione auctoris multas res distinctas, et invicem independentes significare. Hinc apparet non esse confundendum sensum literalem multiplicem, cum sensu *ambiguo*: cum enim locus ambiguus est, potest quidem duos vel tres diversos sensus recipere, sed isti disjunctive accipiendi sunt,



idest aut iste aut ille, et dubium relinquatur quemnam ex istis auctor intenderit; contra vero si locus haberet multiplicem literalem sensum, omnes isti sensus simultanee admitti deberent ut veri, seu ab auctore expressi. Apparet etiam distinguendum esse sensum vere multiplicem a sensu tantum *foecundo* vel *implicito*: si enim textus aliquis Scripturae sensum literalem habeat, in quo tamen implicite alii sensus contineantur qui ex eo deduci possint, nemo dixerit locum illum plures proprie sensus literales praesefere; hoc enim in omni humano sermone fieri potest et solet, ubi tamen unicum semper esse literalem sensum adversarii fatentur: dicunt enim multiplicem sensum literalem esse proprium unius S. Scripturae ut a Deo inspiratae. Porro sensus illi impliciti duplici praesertim ratione in aliquo sensu literali contineri possunt, nempe vel ut partes in toto, et tunc per simplicem enumerationem erui possunt, vel ut conclusiones, in suis praemissis, et tunc per ratiocinium, seu argumentando ex Scripturae sensu derivantur. Ita ex. gr. cum Petrus ait Epist. I cap. I v. 40: « Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis » posset quis ita ea amplificare, et fideles tanquam ex persona Apostoli hortari: vigiliis et orationibus diligentius instate, eleemosynis pauperum inopiam levate, pupillis et viduis subvenite, consolamini afflictos etc. quae quidem omnia, licet inter se diversa, vere quidem in verbis Petri continentur ut partes in toto, vel species in genere, sed quis dixerit propter hoc non unum sed plures sensus diversos locum illum habere? Ita etiam cum legimus in Evangelio Simonis Petri lapsus quisque prodens lector exinde colliget cavendas nobis esse peccandi occasiones, nec nostris viribus fidendum, sed num propterea dicendum erit duos sensus in illa narratione contineri? Hisce animadversis, vix non soluta sunt omnia praedicta argumenta pro existentia multiplicis sensus literalis allata; non enim id reipsa evincunt, sed unum aut alterum ex iis, quae modo diximus ab hac quaestione discernenda esse. Sed singula breviter expendamus.

1. Rationes *internae*, et veluti *a priori* primo loco adductae non probant adversariorum sententiam. Ut enim vim aliquam eis concederemus, nil aliud ostenderent quam rei possibilitatem, vel fortasse convenientiam. Atqui hic non agimus de eo, quod fieri

potuit, sed de eo, quod factum est, atque hoc est, quod certis argumentis demonstrandum fuisset. Quot enim sunt res, quas Deus facere potuisset, aut quae nobis maxime convenientes apparent, quae tamen factae non sunt? Accedit, convenientiam illam apparentem magis esse quam realem; si enim res intimius inspicatur potius videbitur non convenire Scripturis id quod a communi hominum loquendi ratione, cui se Spiritus Sanctus accommodavit, tam alienum est, ut scilicet una eademque voce vel sententia plura ac diversa significantur.

2. Ad testimonia Scripturarum in exemplum adducta.

1) Prima Geneseos verba frustra pro laudata sententia afferuntur. Tertius enim ille sensus, ut nempe accipiatur *principium* pro Verbo Dei a S. Hilario propositus fuit comment. in Ps. II: cui tamen respondet S. Hieronymus Lib. Quaest. Hebr. in Gen. non posse hebraicam vocem *Beresith* hoc sensu intelligi nempe *in Filio* vel *in Verbo*, quod etiam et reliqui Patres existimarunt, non exclusis Augustino et Ambrosio, quos tamen ut huius interpretationis auctores citant Bukentop et alii (1): Neque magis convenit hebraicae voci altera significatio: *primo omnium*, seu *ante omnia*, quod si Moyses significare voluisset potius vocem adhibuisset *Barisciona* בראשיתו quae id significat et in eo sensu accipitur in Scripturis (ex. gr. Dent. XIII, 10, Ios. VIII, 33). Remanet ergo sola obvia et communis illius sententiae interpretatio quae est: in principio, seu initio temporis Deum creasse coelum et terram. Verum demus tres illas expositiones omnes aequae probabiles esse: nihil aliud ex hoc sequeretur, quam locum ex ambiguitate vocis ambiguum esse, nec a nobis certo definiti posse quid ex tribus illis auctor indicare voluerit, numquam autem auctorem omnia haec *simul* in mente habuisse, quod nullo argumento demonstrari potest.

2) Eadem valet responsio ad alterum locum Gen. XLVII, 31. Quid enim si hebraicum vocabulum pro variis punctis diversa significare potest, vel scilicet *lectulum*, vel *virgam*? id enim ex linguae hebraicae imperfectione ortum est, vel potius ex conditione nostra qui verbum legimus, non autem Iacobi actum inspeximus, qui certe uno vel altero modo se gerens nullum ambiguitati locum reliquit. At enim, inquirunt, Ecclesia utramque significatio-

(1) Vide Beelen Op. cit. pag. 51 seqq.

nem recepit alteram in versione graeca et in antiqua Itala, alteram vero in vulgata Hieronymiana. Verum alias demonstravimus laudatas versiones non ita ab Ecclesia probari aut authenticas haberi ac si in minimis quibuscumque rebus infallibiles sint, sed in rerum tantum substantia, ac praecipue in iis quae ad fidem moresque pertinent.

3) Locus Deuteronomii XXV, 4: *Non alligabis os bovi trituranti*: qui certe de bobus literaliter a Moysse intellectus est, a Paulo I Cor. IX transfertur ad officium sustentandi ministros Ecclesiae, qui in area Domini laborant, non quia de his verba illa loquantur, sed quia alter hic sensus ex priori argumentando deduci potest: si enim Deus voluit ut animalia bruta libere possent comedere de frumento, cui in hominum usum parando insudabant, multo magis, seu, uti aiunt, a fortiori vult ut Evangelii praeconibus ea quae ad vitam necessaria sunt a fidelibus non denegentur. Est igitur ibi sensus foecundus iuxta superior dicta, non autem vere multiplex.

4) Locus Ps. II, 7: « *Ego hodie genui te* » maiorem habet difficultatem et veluti achilles contrariae sententiae haberi solet: verum, re maturius considerata, deprehenditur omni vi destitui ad eandem sententiam probandam. Falsum est enim Apostolum tres distinctos sensus verbis illis tribuisse. Sane cum dicit Hebr. V, 5: « *Christus non semetipsum clarificavit uti Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum*: Filius meus es tu, ego hodie genui te » nequaquam affirmare vult Christum verbis illis, seu vi eorum verborum sacerdotem factum esse, sed potius ei sacerdotium fuisse collatum ab eo, qui verba illa dixerat, id est a Patre: est ergo tantam periphrasim nominis *Pater*, qua Apostolus utitur in hoc loco, non autem verborum illorum explicatio diversa a sensu quem unice continent, scilicet de aeterna Christi generatione, ac filiatione. Alter autem locus Apostoli Act. XIII, 32 seqq. non novum eorumdem verborum sensum aperit de Christo ab inferis resurgente, sed hunc sensum ex primo illo et unico argumentando deducit. Ait enim: « *Et nos vobis annuntiamus eam, quae ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: filius meus es tu ego hodie genui te.* » Porro citationes locorum Scripturae apud Hagio-

graphos, et praesertim Paulum, non semper ita intelligendae sunt ac si citatus locus in suo proprio et immediato sensu ad rem pertineat, sed satis est ut ad rem probandam saltem indirecte referri possit: quoniam igitur causa potissima cur Christus ad vitam revocatus est fuit certissime eius dignitas Filii Dei, hanc assignat Apostolus dicens Patrem resuscitasse Iesum secundum id quod in Ps. II, 7 scriptum erat, seu, aliis verbis, eo quod Iesus esset eius naturalis Filius, nec decebat eum diutius mortis imperio subesse. In verbis igitur citatis Ps. II. restat unus dumtaxat literalis sensus quem superius indicavimus, de aeterna Verbi a Patre generatione (1).

5) Sententia Isaiae LIII, 4: « *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* » communiter quidem intelligitur de peccatis seu morbis spiritualibus a Christo sublatis, quemadmodum LXX interpretes expresse reddiderant: Ὁς τος τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν πέπει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνηταί, hoc est: *ipse peccata nostra portat, et pro nobis dolet*, quemadmodum adhuc legit Ecclesia in officio Feriae V Maioris Hebdomadae (Ad I Noct. Resp. 3) sequens veterem latinam vulgatam seu Italam, quae ex graeca

(1) Plura de laudatis Pauli testimoniis dabit Beelen op. cit. pag. 61-77 ubi tamen paulo diversam alterius loci expositionem praebet, et ex graeco Actorum textu subtiliter probare contendit, testimonium Ps. 2, et alia ibidem ab Apostolo citari ad finem demonstrandi Christum esse Messiam Patribus promissum, non autem speciatim pro eius resurrectione. Quod autem ibidem (pag. 71 seq.) dicit verba de quibus loquimur tum in suo originario loco Ps. 2, 7 tum in Hebr. 1, non esse referenda ad aeternam Verbi generationem, sed ad eius manifestationem in tempore quae quasi externa ipsius prodigio et nativitas fuit, id, inquam, nullatenus admittimus; est enim contra communem Patrum et Theologorum interpretationem illius loci. Nec ratio a Cl. Auctore adducta quidquam probat adversus hanc loci expositionem. Ait enim ex contextu Ps. 2, et Hebr. 1 apparere, in utroque loco sermonem esse de Christo ut homine, seu de Messia. Sed hoc non excludit quod de eo praedicari possit etiam aeterna generatio tanquam praecipua prerogativa, et ceterarum fundamentum. Nam iuxta sanam Theologiam de Christo homine in concreto praedicari possunt divina, sicut viceversa de Christo deo seu de Verbo praedicantur ea quae humana sunt, ut passio, et mors propter hypostaticam utriusque naturae unionem, et personae unitatem, unde oritur haec loquendi ratio, quam Theologi vocant *communicationem idiomatum*.